SCRUPULI DOCTORIS SORBONICI ORTI EX LIBRO R. P. HENRICI DE...

Jean Hardouin, Enrico Noris

SCRUPULI DOCTORIS SORBONICI ORTI EX LIBRO R.P. HENRICI DE NORIS, QUI INSCRIBITUR, HISTORIA PELAGIANA, &c.

Ad Romanos hujus Libri Censores.

SCRUPULI DOCTORIS SORBONICI ORTI EX LIBRO R.P. HENRICI DE NORIS, QUI INSCRIBITUR HISTORIA PELAGIANA, &c.

Ad Romanos hujus Libri Censores.

ACCEPI non ita pridem, Reverendissimi Censores, novam Romæ parari editionem Libri Norisiani, cui titulus est, *Historia Pelagiana, & Dissertatio de Synodo V. œcumenica, &c. additis vindiciis Augustinianis pro libris à S. Doctore contra Pelagianos, ac Semipelagianos scriptis*: Vos autem à Summo Pontifice libro prius recognoscendo fuisse præfectos.

Rem vobis haud ingratam me esse facturum putavi, si nonnullas difficultates, tum mihi, tum pluribus nostræ Facultatis Doctoribus in eo quondam legendo subortas proponerem: Quippe quæ viris cordatis, ac Sedi Apostolicæ planè devotis visæ sunt minimè contemnendæ.

Scrupulos appellavi ad eorum similitudinem, quos nuper in nostro litteratorum Diario legebam Romanis iisdem Censoribus propositos fuisse ante annos circiter quindecim, simili prorsus in causa, cùm recudendus in Urbe esset

Belgæ cujusdam liber inscriptus : *Specimina Moralis Christianæ, & Moralis Diabolicæ*, circa quem varios scrupulos, non sine operæ pretio, missos esse memini.

Vestrum erit, Censores æquissimi, ipso eventu palam facere utrum meos hosce scrupulos inanes an probandos judicaveritis. Utcumque se res habeat, nemini videbor inverecundè scripsisse, qui istas qualescumque animadversiones non alio quam *Scrupulorum* titulo donaverim.

Triplici generis erunt : Alii authoritatem Sedis Apostolicæ, alii Galli anæ Ecclesiæ, quæ nostra privatim res est, dignitatem, ac famam; postremi denique Catholicum dogma spectabunt.

PARS PRIMA.

De iis qui authoritatem spectant Sedis Apostolicæ.

Mirum forte nonnullis videbitur ab ultramontano Doctore Censores Romanos admoneri, de iis quæ Summi Pontificis Minister videtur scripsisse in præjudicium sanctæ Sedis Apostolicæ; Quasi Romani cæcutire in iis possint, Gallo acutiùs vidente. Vestrum eric judicium, æquissimi Censores, postquam ea narravero, quæ differit Norisius Historiæ Pelagianæ lib. 2 cap. 18. & sequentibus de Scythis Monachis. Historiam priùs verbis paucis expo-

no, prout omnes, ipseque Norisius confitetur se habere.

§ I.

Scytharum Monachorum Gesta.

1. Sedente Sancto Hormisda (fuit hoc initium Sæculi sexti) Scythæ quidam Monastico habitu Constantinopolim venerunt, illicque tum suæ Provinciæ Episcopos, tum verò Catholicos alios hæreseos accusabant, qui nollent ad fidei professionem à Synodo Calcedonensi constitutam ista verba addere, *Crucifixus est unus è Trinitate.*

2. Causâ primùm ad Patriarcham, deinde ad Legatos Apostolicos delatâ negarunt hi omnes uno ore in sua potestate esse quidquam adjicere ad ea quæ Synodus Calcedonensis in fidei confessione posuisset; cùm præsertim adjicienda propositio ea ipsa esset, quam soli hactenus Eutychiani probaverant, quamque famosus hæreticus Anastasius Imperator apertâ vi contenderat Ecclesiis obtrudere.

3. Scythæ à propriis Episcopis, à Patriarcha, à Legatis sanctæ Sedis repulsi, ac propterea universos hæreticos appellantes Romam pergunt; novam propositionem à Summo Pontifice adjici petunt fidei professioni. Sed spes eos multùm fefellit. Advenarum consilia odoratus Hormisdas Legatos suos quamprimùm revocat, ut his præsentibus causa judicetur: Intereà Scythas ex urbe clam discedere conatos custodirà

Epist. 70. ad Possess. „ præcipit. Id cùm ægreferrent Pseudó-Monachi, in publicum usque prodiere conventum „ (verba sunt Hormisdæ ipsius) ad concussionem quietis, circa Regum statuas inclamantes: & nisi fidelis populi constantia restitisset, per Diabolicæ semina nefanda zizaniæ apud „ illos dissensionem & discordiam commovissent, per quos adjutorio Dei de regione eorum „ est pulsa dissensio. Interim tumultûs, quem ipsi excitaverant opportunitate usi Scythæ clam aufugiunt: ex quo nemini dubium superfuit, quo consilio accessissent.

4. Rem ita gestam Hormisdas perscripsit in Epistola ad Possessorem Africanum Episcopum Constantinopoli tùm degentem; *Ne si illuc fuerint Scythæ fortè delati*, inquit, *ignorantes quemadmodum se in urbe Romana tractaverint, sub aliqua verborum specie deciperent.*

5. Talis Epistola cùm fuisset ubique pervulgata, eam Joannes Maxentius Scytharum Antesignanus refellendam ita suscepit, ut fingeret dubitare se verène ab Hormisda scripta esset: quanquam ex ipso libelli contextu manifestè appareat non modo scivisse illum quis esset autor Epistolæ, verum etiam omnibus notum esse voluisse, cum ea in hunc jaciat, quæ in Hormisdam apertè cadunt. Hactenus Scytharum gesta, de quibus nemo cuiquam contradicit.

§. II.

Quid de his senserint nostrorum temporum Scriptores Catholici?

EOs Baronius, Notisio teste appellat *Pseudo-Monachos, versipellos, impios, circulatores, impostores*: recenset eorum *imposturas, dolos, fallaciam, perfidiam, temeritatem, pervicaciam, & prorsus effrenem audaciam. signis denique haud obscuris, & argumentis minimè dubiis compertos, ait, fuisse Eutychianos hæreticos: ita tamen ut speciem præferentes orthodoxorum, ipsum Eutychetem cum suis sectatoribus oppugnare videri voluerint*, ac pro ratione temporis, & personarum fidei formulas diversas haberent, subinde *mutantes fidei confessionem, ne deprehendi posset quòd essent hæretici.* Quibus haud dubiè alludit Baronius ad hæc Hormisdæ verba: *Ne si illuc fuerint fortè delati, ignorantes quemadmodum se in urbe Romana tractaverint sub aliqua verborum simulatione possint decipere.*

Bellarminus de Ioanne Maxentio Scytharum Syncello hæc ait: *Nestorianos ita refellit, ut ad Eutychianos declinare videatur.* (de Scriptor. Ecclesi 520)

Ioannes Braſſichellanus Magister sacri Palatii: *Ioannem Maxentium, & socios ejus Monachos Scythas fuisse palam Eutychianos perfidos, damnatos à Romana Ecclesia & ingentes*

turbas in Ecclesia Catholica excitasse, cùm Constantinopoli, tum Romæ, ex multis relationibus, & ex variis Epistolis ejusdem Hormisdæ apertissimè intelligitur.

Auctores Bibliothecæ Patrum ipsa Brassichellani verba velut obelum, ac certam hæresis notam præfigunt operibus Maxentii.

Conciliorum collectio Biniana: *Joannes Maxentius hæreticus & mendax.... hæreticus pestilentissimus hanc Epistolam Hormisdæ esse negavit.*

Conciliorum collectio ultima: *Vaferrimè hujusce hæretici, atque ut minimum loquar, Eutychiana fuligine tincti patrocinium nuper susceperunt Jansenii Asseclæ, sed infelici planè atque irrito conatu.*

§. III.

Quid de his Scythis jam olim senserit Ecclesia?

SEnsus ille Ecclesiæ haud melius potest cognosci, quàm si colligantur in unum Testimonia. *Primò*, Episcoporum localium. *Secundò*, Primatis seu Patriarchæ. *Tertiò*, Legatorum sanctæ Sedis. *Quartò*, Summi Pontificis ipsius. *Quintò*, Totius demùm Cleri ac populi Romani.

Primò, Paternus Tomitanus Antistes, & Comprovinciales Episcopi Scythas primi omnium subodorati sunt, ac cæteris cognoscendos dederunt. Eapropter accusati ab iis fuere, velut Nestorianæ hæresis fautores.

Isti de sua Provincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ Civitatis Antistes. Omnes qui accipiunt Synodum Calcedonensem, Nestorianos dicunt, dicentes, non sufficit Synodus contra Nestorium. (Suggestio Germani post epist. 65. Hormisdæ, & suggestio Dioscori per Eulogium post epist. 7.)

Cùm verò detecta fuisset calumnia Paterno illata, ipsósque accusatores præciperet Imperator suo Episcopo supplicare, *fuga lapsi Monachi maluerunt de Civitate discedere, quàm ad concordiam pervenire.* (Suggestio Germani.)

Secundò; Patriarcha Constantinopolitanus eorum auditâ causâ, prævetat illi judicio, quod Legati Pontificii, ac deinde sancta Sedes de Scythis tulerunt. Patriarchæ judicium Ecclesia omnis Constantinopolitana secuta est, ut testantur Legati in Epistolâ ad Hormisdam: *Eos omnis Constantinopolitana exhorret Ecclesia.* Patriarcha vicissim Nestorianus & ipse appellatus est à Scythis, *quia cùm legisset ante omnes omnia quæ sunt in Synodo Calcedonensi constituta*, dixerat: *Præter ista nihil mihi aliud dicatur: qui sequitur ista potest inter Catholicos esse.* Scythæ contrà, *non sufficit Synodus contra Nestorium, & sic manifestatum est omnibus Catholicis* (inquit è Legatis unus) *hi homines quales sunt, & quales intentiones habeant, & quid volunt in fide Catholica introducere.* (Ibidem, & in suggest. Dioscori post epist. 67. Hormisdæ.)

Tertiò, Legati Apostolici numero quinque, viri omni exceptione majores, è quibus duo sanctitatis præcipua laude florebant, Scythas

velut Eutychianorum fœderatos anathemate perculerunt, de quibus ita scripsere ad Hormisdam. „Rogamus ut consueta cautela, & qua „solet Dominus noster vigilantia cogitetis, & „quomodo suspendendi sunt qui à nobis taliter „recesserunt, & à nostra Communione fuerunt „separati; & quid eis respondeatur, vel quo„modo eorum Capitula repellantur, quia eos „omnes Constantinopolitana exhorret Ecclesia. (Suggestio cum Dei post epist 65.)

Insidiator antiquus, (inquit è Legatis unus, nempe Dioscorus) *suscitavit Monachos de Scythia .... omnium Christianorum votis adversarios. Est in propositione eorum callida, & hac dicere: Nos Synodum Calcedonensem suscipimus: hoc speramus ut jubeatis eam exponere, quia non sufficit sic quomodo est exposita contra haresim Nestorianam: non quasi non intelligentes nisi conantes per subtilitatem ad hoc nos adducere ut disputetur de Synodo Calcedonensi: quod si factum fuerit, dubia & infirma ostenditur, & hareticorum omnium patuit errori.* (Suggest. *Virum est* post epist 65. Hormisdæ.)

De ipsa verò persona & moribus Monacho„rum, Dioscorus hæc addit: Maxentius ta„men, qui sub Abbatis vocabulo dixit se con„gregationem habere, si interrogetur, aut cum „quibus Monachis vixit, aut in quo Monaste„rio aut sub quo Abbate Monachus factus est; „dicere non potest. Similiter & si de Achille „dic re voluero, rem facio supervacuam: cui „sufficit semper latere propter conscientiam „suam ab omnibus Catholicis damnatam.

Equidem Notisius testimonium rejicit Dioscori, quem li. èr Hormisdæ unicè carum ob rerum agendarum periciam, ac doctrinæ copiam, at conflato contra Bonifacium schisma e intra paucos dies, *ultore numine* ait fuisse extinctum, *ut ex his apertè intelligatur*, *inquit*, *quem hominem Scyshæ Monachi accusatorem habuerint*.

Ipsa retuli verba Notisii, sed quæ planè injuriosa sunt Romanæ Ecclesiæ, Sanctóque Agapeto, qui simul ac in Petri sedem fuit evectus, coacto eo fine Concilio, Dioscori memoriam à calumnia liberavit. Do verba Anastasii in Agapeto.

Hic in ortu Episcopatûs sui libellos anathematis, quos invidia dolo extorserat Bonifacius à Presbyteris & Episcopis contra Canones contra Dioscorum, in medio Ecclesiæ, congragatis omnibus, incentio consumpsit, & absolvit totam Ecclesiam invidia perfidorum.

Ecce quo in numero Notisius habet Canonica Ecclesiæ Romanæ, ac Sanctissimorum ipsius Pontificum judicia. Dioscorus Sancto Hormisdæ unicè carus, à Sancto Agapeto a calumnia vindicatus, de Romana Eccl sia cumulatissimè meritus, doctrinæ copiâ, rerúmque agendarum peritiâ insignis, quia Scythas accusavit, homo improbus No isio, ac planè scelestus est: Scythæ verò ipsi à propriis Episcopis, à Patriarcha, totáque Ecclesia Constantinopolitanæ civitatis, à Legatis sanctæ Sedis, ab Hormisda Summo Pontifice, à Clero, populóque Romano inter Eutychianos recensiti, eóque nomine in *horrore* habiti, homines sunt in fide irreprehensibiles,

imò sanæ de Incarnatione doctrinæ vindices, quia Faustum velut Semipelagianum habuerunt.

Verùm suspectus sit Dioscorus, neque adversus Scythas audiendus, quid? Germanúsne & Joannes, ambo Episcopi, Blandinus Presbyter, & Felix Diaconus idcircò rejiciendi erunt tanquam testes minùs idonei? Profectò Germanus Capuanus Episcopus ille ipse est qui Sancto Benedicto vidente fuit inter cœlites sublatus: Joannes verò susceptis pro fidei defensione vulneribus, (inquit Baronius) insignibus martyrii meruit decorari.

Restat audire sanctum Hormisdam suo ac totius Ecclesiæ nomine loquentem.

„ Ubi, inquit, non variæ tentationis aculei?
„ Quales per hunc ferè jugem annum quorun-
„ dam Scytharum, qui Monachos præseferebant, specie non veritate, professione non
„ opere, subtili tectas calliditate versutias, &
„ sub Religionis obtentu famulantia odiis suis
„ venena pertulimus? Studentes eos ab interno
„ vulnere medicabilis patientiæ moderamine sanare; Beati Pauli monita non tacentes: *Noli*
„ *verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi*
„ *ad subversionem audientium.* Sed quando
„ virus, quod viscera penetravit, evellitur?
„ quando corda malè sibi credula veritatis obtemperant institutis? quando induit obedientiæ humilitatem opinionibus suis vallata superbia? quando acquiescunt paci contentionum studiis assueti, sola certamina amantes
„ de Religione captare, & mandata negligere?
„ nunquam apud eos charitas novo commendata præcepto;

„ præcepto; nunquam pax Dominico relicta
„ discessu : una pertinacis cura propositi, ratio-
„ ni velle imperare, non credere; contemptores
„ autoritatum veterum, novarum cupidi quæs-
„ tionum, solam putantes scientiæ tectam viam
„ qualibet concepta facilitate sententiam : eo
„ usque tumoris elati, ut ad arbitrium suum
„ utriusque orbis putent inclinandum esse judi-
„ cium, nec in numero fidelium deputantes se-
„ quaces traditionis paternæ, si suæ viderint
„ cedere nolle sententiæ : docti crimina ferere,
„ obtrectationum venena componere, integrum
„ Ecclesiæ corpus odisse. . . Non illos potuimus
„ monitis, non mansuetudine, non autoritate
„ comprimere : & nisi fidelis populi constantia
„ restitisset, per Diabolicæ semina nefanda zi-
„ zaniæ apud illos dissentionem & discordiam
„ commovissent, per quos adjutorio Dei de re-
„ gione eorum est pulsa diffusio. De eis fere
„ probavimus propheticâ Apostolum voce di-
„ xisse, *In novissimis diebus instare tempora*
„ *periculosa, & fore homines sui tantùm ama-*
„ *tores, habentes formam pietatis, virtutem*
„ *autem ejus abnegantes*; itaque esse vitandos.

Vos appello, Reverendissimi Censores, ex vobis scire cupio Catholicine, ac fidei vindices habiti olim ab Ecclesia fuerint, quos sui primùm Episcopi deinde Constantinopolitana Ecclesia, simul Apostolici Legati, ipséque Summus Pontifex anathemate percellunt, ac vitandos declarant velut *Christianorum omnium adversarios*, veneno *quod viscera sua penetravit* plenos; *eo usque tumoris elatos, ut ad arbi-*

trium suum, (in materia fidei) *utriusque orbis putent inclinandum esse judicium?* Quis de Orthodoxis loquatur in hunc modum? *Quales sunt & quas intentiones habent, & quid volunt in fide Catholica introducere, cum Dei adjutorio manifestatum est omnibus Catholicis... De eis verò probavimus prophetica Apostolum voce dixisse*; In novissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines sui tantùm amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, *itaque esse vitandos*. Ego quidem apud antiquos non memini hæc Apostoli verba intelligi nisi de hæreticis.

At quid disputamus utrum Scythas pro hæreticis habuerit Hormisdas, cùm ipsi ultrò Scythæ confiteantur eo se numero fuisse à Summo Pontifice computatos?

„ Licèt eos, inquit Maxentius, publica veritatis conscientia manifestè hæreticos non „ audeat accusare (Hormisdas) oblique tamen „ & callidè hoc vult de eis intelligi: dúmque „ ipsos iniquis imprudenter obtrectationibus „ lacerat, falsisque criminationibus nititur obfuscare, seipsum tetri erroris nigredine adopertum cunctorum aspectibus anteponit.

Ex dictis hactenus patet quemadmodum de tot, tamque diversis omnium ordinum hominibus, qui sive in Oriente sive in Occidente Scythas Monachos viderunt, simul eorum scripta omnia perlegerunt, & curiosius collato cum iis sermone mentem ipsorum introspexerunt, nemo non illos hæreticos pronunciarit.

At super his, inquit Norisius, conceptam

primùm sententiam mutavit Iustinianus : illorum fid m p æterea comprobarunt plures Afri- cæ Episcopi, Fulgentio duce.

De Justiniano quod respondere curem nihil est ; siquidem Norisius ipse Iustinianum fatetur à Papa perstrictum esse, quòd in ca ia Scythica sen entiam mutasset, quò novi Consulis Vitaliani Monachorum illorum infelicis Patroni favorem vel amicitiam sibi conciliaret.

Quod Africanos spectat, approbarunt quod legerant, non quod ipsis fuerat dissimulatum : sicut olim Pelagium virus suum occultantem Zozimus Papa laudavit, ut narrat Baronius, ad annum 417.num.25 & sequentibus. Quàm verò solemne Scythis esset suam hæresim occultare, satis declarat sanctus Hormisdas Possessori. *Hac ideò*, inquit, *dilectioni vestra indicanda sub occasione credidimus, ne, si illuc fuerint fortè delati, ignorantes quomadmodum se in urbe Romana tractaverint, sub aliqua verborum simulatione deciperent*.

Ad Africanos in Sardinia exules mittunt Scythæ fidei professionem, quam summè suâ interat Ca holicam inveriti ; ut post anathema undique in se, sive ab Oriente, sive ab Occidente vibratum, aliquos tandem communicatores invenirent. Afri Episcopi qui de contentionibus in Oriente recens exortis nihil sciebant, nec fraudem Eutychianorum sub ambiguis vocibus latentem noverant, Monachorum scriptum probarunt ; homines ipsos nec allocuti sunt unquam, nec viderunt, tribus, opinor, exceptis qui litteras deferebant. Quis conferat tale

teſtimonium cum ea nube teſtium ex utroque orbe clamantium Scythas, quos ipſi viderant, audierántque, eſſe hæreticos?

§ IV.

Quid illi Scythæ de Hormiſda ſenſerint?

HOrmiſdæ Epiſtola ad Poſſeſſorem (inquit Norifius) *non modo Conſtantinopoli, verum etiam latiùs per Europam legebatur; in qua cùm Monachi Scythæ arguerentur, nec Fauſti libri ut heretici palam reprobarentur* (adverte duas offenſionis cauſas) *Joannes Maxentius... eidem obviam ſcripto ire auſus eſt.... Quò tamen liberiùs in Epiſtola authorem toto impetu debaccharetur, negavit illam fuiſſe ab Hormiſda ſcriptam.* Quod malitioſè negaſſe probat deinde Norifius. Sciebat itaque Maxentius, Norifio ipſo teſte, Summi Pontificis Epiſtolam eſſe quam refelleret: imò volebat à cæteris talem reputari. Nunquam enim dixit Pontificis non eſſe, ſed *facilè credi non debere quod ſit Epiſtola Pontificis, ſed cujuſcumque tandem ſit, &c.*

Videamus itaque, Maxentius & ſui quomodo acceperint Epiſtolæ authorem, quem fatente Norifio, ſciebant eſſe ſummum Pontificem.

„ Certè, inquiunt, authorem hujuſce Epiſto-
„ læ hæreticum eſſe, quiſquis ille eſt, & inimi-
„ cum Catholicæ veritatis non eſt dubium:
„ quod modo ex ipſis dictis docebimus. Huma-
„ na namque tentatione præventus idem Hor-

„ misdas Episcopus, postquam comperit reverti
„ Dioscorum, volens ei præstare hoc b neficium,
„ ne in publico ab eisdem Monachis argueretur
„ hæreticus, missis defensoribus cum ingenti
„ violentia cito exire compulit. (*ò calumnia!*)
„ Qui cùm urgerentur, compulsi sunt in locis
„ publicis populum contestari. [Tum Epistolam
„ Hormisdæ mal gnè interpretantes aiunt: nam
„ & ipsi hæretici ad hoc ubique hanc ipsam
„ Epistolam proferunt, quatenus.. omnes quasi
„ ex autoritate ejusdem Romani Episcopi pro-
„ hibeantur Christum filium Dei unum confite-
„ ri ex Trinitate.... sed confidenter dicere au-
„ deo, non quod si per Epistolam, sed quod si
„ viva voce hîc in præsenti positus idem prohi-
„ beret Episcopus Christum filium Dei unū con-
„ fiteri ex sancta, & individua Trinitate, nunquam
„ eidem Dei Ecclesia acquiesceret, nunquam ut
„ Episcopum Catholicum veneraretur, sed om-
„ ninò ut hæreticum penitùs execraretur.

Sexcentis in locis eum appellant *hæreticum, Nestorianæ pravitatis fautorem, tetri erroris nigredine adopertum, veritati impiè resistentem*

Neque unius duntaxat Nestorianæ hæresis Summum Pontificem accusant, eum præterea
„ Pelagianum esse contendant his verbis: Cal-
„ lidè tuam ceteris occultare perfidiam, sed re
„ splendore suo detegit Catholica veritas, &
„ juxta cætera mala, etiam superbissimæ Pela-
„ gianæ perfidiæ involutum erroribus cuncto-
„ rum oculis anteponit.. adhuc tarè ante dictæ
„ hæreseos spiritu animatus sequeris, & dicis;

„ probat enim virtutis suæ validum robur, qui, „ cùm impellitur, non movetur.

§. V.

Quid de illis Scythis statuat Norisius?

Pag. 315. „ MOnet hoc loco gratitudinis officium, inquit Norisius, ut stylum ad alia properantem paulùm persistamus, ac Ioanni Maxentio, & Scythiæ Monachis ob egregiè Augustiniano nomini navatam operam non modo grates referamus, sed etiam vices rependentes, Augustinianæ doctrinæ adversus Faustum defensoribus necessariam advocationem „ commodemus.

Primùm quæro Scythis illis quid Norisius debet, aut quale beneficii genus ab iis acceperit? non aliud certè, quam quod à Luthero & Protestantibus qui pariter Augustinianæ doctrinæ defensores se profitentur adversus Papæ, & Papistarum errores. Unde enim habet Norisius Maxentium & suos veram & Catholicam Augustiniano dogmati operam navasse, nisi ex eo libro, in quo apertè pronunciant Adversarium suum, quem summum Pontificem esse sciebant, *Pelagiana perfidia esse involutum erroribus, & superbissima hæreseos spiritu animatum?* Hos homines Norisius Augustini defensoribus annumerat, proque Petri successore hæresis Pelagianæ damnato, gratiam se debere profitetur: adeò ut non possint non esse Catholici quicum-

que pro Augustino, etiam contra Sedem Apostolicam, insurgunt. Digreditur à proposito sibi argumento, stylúmque ad alia properantem sistit ut Baronium super illis Scythis reprehendat. „ Etenim, inquit, magnus Annalium scriptor „ ad annos 519. & 520. Maxentium & Scythas „ Religiosos tantis conviciis excipit, quantis „ vix ferè hæresiarcharum aliquem unquam „ proscidit. Ego quidem de singulis notis, quas „ Scythis inurit, nolo cum eo contentionis funem ducere: sed quod illos *non Catholicos* „ *dicat* pag. 46. *Sub sanctitate Monastici habi-* „ *tus latentes hæreticos*, pag 49. hæc nos ad„ mittere non possumus. Manifestum est itaque, (Norisio judice) Scythas ab omnibus prorsus errore absolvi; & Catholicos pronunciari. pag. 315.

Quid quod eosdem fidei defensores, & adversus Eutychianam hæresim vindices appellare non dubitat? *Nos*, inquit pag. 315. *Eutychianæ hæreses infamiam non modò à Maxentio & collegis ejus propulsabimus, verum etiam hæresis Eutychianæ strenuos expugnatores probabimus.* Et pag 318. *Ut sanè haud reprehendi sint Monachi* (Scythæ) *qui tanto conatu pro veritate certaverint.* Ita Norisius.

§. VI.

Quid ex hoc Norisii Judicio consequatur?

Consequitur primò, homines quos Episcopi sui, deinde Primas, postea Legati sanctæ Sedis, ipsa demùm sancta Sedes, uno verbo

Romana simul & Græca Ecclesia, auditis eorum sermonibus, lectisque scriptis, causâ omni dudùm & accuratè perpensâ, unanimi sensu judicaverit hæreticos, aut hæresis fautores; eos, inquam, homines asseri nihilominus posse non solùm Catholicos, sed & defensores Catholicæ fidei, idque in eo ipso puncto, in quo eos errasse sancta Sedes, & Ecclesia judicavit.

Consequitur secundò, veri nominis Catholicum, & optimo jure Orthodoxum reputari posse illum, qui apertè contradicat Episcoporum suorum, Patriarchæ, summique Pontificis judicio in materia dogmatis. Erit ille Norisio importunus, imprudens, &c. at nihilominus Catholicus, imò Ecclesiæ defensor.

Consequitur tertiò, talem esse posse illum, qui summo Pontifici hæresim penè in faciem exprobrat, scribitque eum fuisse prævaricatum in materia dogmatis, favisse errori, doctrinam hæreticam disseminasse, hæreticum esse, tam super Incarnatione, quàm super Gratia.

Tale coram orbe Christiano testimonium ex Urbe pronunciat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Probibliothecarius, cujus authoritati, si verum est, accessisse quinque Apostolicos Censores, qui sententiam eamdem suo calculo comprobent; quis, amabo, futurus est posthac eruditorum hominum sensus? I nunc, inquient, & adversus Cleri Gallicani Propositiones reclama. Certè minore cum periculo scripta Gersonis super hac re quàm Norisii, Roma suscipiat; nec deerunt, opinor, qui facta utriusque authoris collatione, hoc argumentum validè urgeant, in eóque triumphent.

§. VII.

Norisio effugium præcluditur.

NEc quisquam opponat Cochlæum aliumve quempiam, qui Maxentii tantummodo libellos attendens eos censuerit ab hæresi immunes. Id enim parùm aut nihil valet ad excusandum Norisium. Quippe aliud est Scythas ipsos universè & absolutè prædicare velut omni ex parte Orthodoxos, imò fidei vindices; aliud eorum scripta & quidem ea solùm, quæ hodie extant, ab Eutychiana hæresi eximere.

Ut posteriore duntaxat modo istos defendas, satis est si doceas nullam in hisce scriptis propositionem esse manifestè Eutychianam & quæ non possit Catholico sensu exponi. Porrò id unum in gratiam Scytharum Monachorum fecere Theologi quos diximus, ut ipsorum verba satis ostendunt. In quo sanè veteribus non contradicunt, qui Scythas illos pro hæreticis habuere: cùm sæpè soleant hæretici, ne agnoscantur, edere Catholicam fidei professionem, cujus deinde verba in sui erroris sensum detorquent. Atque hoc ipsum fecisse Scythas testis locuples est Hormisdas Papa. Potest igitur sine fidei, vel Romanæ Sedis injuria negari quod Scytharum scripta Eutychianam Hæresim contineant; at verò ipsos etiam auctores ab ejus suspicione liberare qui aggreditur, imò tanquam strenuos fidei defensores laudat, ut apertè facere videtur.

Norisius; is supponit primò sensum Catholicum, quem illorum scriptis tribuit, cum ipsum esse quem isti sibi proposuerunt. Secundò, nihil aliud ab his scriptum fuisse quod hæresim magis saperet. Tertiò, nihil eos in privatis sermonibus inter suos Symmystas docuisse, nisi quod scriptis illis publicè editis continetur. Quartò, denique nihil in his libellis contineri quod alicui de fidei Catholicæ principiis repugnet.

Hæc sunt, inquam, quæ necessariò involvit Norisiana pro Scythis apologia: idque nihil aliud est quàm totam antiqui ætatem, quæ illos pro hæreticis habuit, ut vidimus, calumniæ accusare. Hoc si Cochlæus aut quisquam alius faceret, quod non credimus, esset quidem illis culpa cum Norisio communis, longè tamen gravioris momenti in hujus quàm in istorum libris.

Scilicet non privatus aliquis, ex transalpinis regionibus, cujus testimonium facilè ejurari posset; Verùm ipsa in Urbe scriptor, sanctæ Sedis obsequio peculiari jure mancipatus, Romanæ Ecclesiæ Probibliothecarius, & sacrâ purpurâ ut fama est, doctrinæ titulo propediem induendus; talis, inquam, scriptor ea docet, quæ si vera sunt, fateri necesse est strenuorum fidei vindicum jam à primis temporibus sententiam fuisse, quod Romanus Pontifex Ecclesiam docens errare posse in fide, imò contra fidem pro duabus simul hæresibus, Nestoriana videlicet ac Pelagiana, vexillum contra Orthodoxos erigere.